

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

LAUDATIO IN FUNERE
UBALDI BREGOLINI
SACERDOTIS
J. U. D.

ET IN VENETO LYCEO
JURIS ET LITTERATURAE
PROFESSORIS

HABITA

A JO: PROSDOCIMO ZABEO

SAC. TH. DOCT. ET IN EOD. LYC. PROFESS.

VENETIIS

IN ECCLESIA S. JOANNIS ELEEMOSYNARII

XVI. KAL. OCTOBR. ANNO MDCCCVII.



TYPIS

JOANNIS PALESE.

ORATIO.



Etsi inæqualis ætatis, *Præsul Illustrissime atque Reverendissime* (1), Etsi inæqualis ætatis non levis differentia potuisset me in eam cogitationem adducere, ut funus optimi Sacerdotis Ubaldi Bregolini eo tempore esset eventurum, quo ego quirem ejus vitæ monumenta utcunque conscribere, ne tanti viri memoria sine honore ad posteros transmitteretur; me tamen esse electum, ut illi ex hoc sanctissimo loco justa persolverem, et funebri oratione longævo amico, et collegæ doctissimo parentarem, adeo res inopina, et studiorum meorum consuetudini insueta visa est, ut non sine mœrore gravi, et vehementi animi perturbatione triste hoc munus susceperim. Lugubre namque illud feretrum, atrum istum tumulum, in quo jacere exanime corpus putare jubeor, flebile illud carmen quo mœstissimo adhuc nigris hoc obductum velleribus Templum resonat, exequiales has faces, quarum incerto lumine luctus funeris ingeminatur, vestram, spectatissimi Auditores, præsentiam ipsam tam insolitam, tam frequentem; hæc omnia sensibus uno eodemque tempore admota sciebam, impedimento futura esse quo minus lenimen illud, quod in describendis ejus moribus et factis perciperetur, sentiri possit, neque permissura, ut dum de ejus vita loquor, ejus mortis dulcissimo errore obliviscar.

 At

At num idcirco oblatum munus rejiciendum? Num ut mihi indulgeam, agam cum illo injuriosius? An ea est orationis materies, quæ indigeat oratoris alacritate et artificio ut sine tædio, et cum admiratione excipiatur? Desit Oratori animus, et erepti, quocum per quinque lustra familiarissime vixit, amici desiderio angatur gravissime; UBALDI BREGOLINI vita atque ingenium talia sunt, quæ etsi nulla dicentis ornentur arte, tamen ad illius laudes celebrandas sunt contenta doceri.

Hoc igitur faciam, et qualis quantusque vir ille fuerit, rerum gestarum narratione potius quam oratoria expositione docebo. Quæ dicendi ratio si cui ab initio non arriserit; is aliquando mecum consentiet, non debuisse aliunde mutuatis præsidiis honorem iis factis comparari, quæ luce sua et quidem splendidissima coruscant.

UBALDUS BREGOLINI ante sex et octoginta annos (2) honestissimo genere Nobiliaci (3) ortus est. Hoc agri tarvisini Oppidum non ignobile aluit puerum, adolescentem excepit Patavium, atque in suo Clericorum Seminario, quod optimis Magistris, si quando alias, tunc temporis maxime florebat, litterasque et scientias, philosophiam nempe, mathesim, jus civile et canonicum edocuit. Inde UBALDUS et latinæ et græcæ linguæ peritia auctus habuit quo posset in veterum oratorum et poetarum utriusque nationis lectione cum utilitate versari. Hanc ille occasionem cognoscendi quæ, et quam bene scripserint Homerus, Demosthenes, Tullius, Virgilius, aliique aureæ illius ætatis auctores ita avide arripuit, ut eorum libros semper haberet in manu, et ab iis se divelli ne eo quidem tempore pateretur, quod menti re-

creandæ

creandæ honestis ludis loci legibus concedebatur. Imo eo creverat illorum Auctorum in BREGOLINO amor, ut tunc etiam quando scientiis navabat operam, putaverit harum gravitatem litterarum amœnitate esse molliendam. Quam consuetudinem adeo ille tota vita retinuit, ut ne adventante quidem et ingravescente senectute dimiserit. Me testem hujus moris habetote. Sæpius adeunti mihi illius domum occupatus lectione veterum Auctorum, non enim recentibus magnopere delectabatur, inventus est: sæpe hos legentem viderunt quotquot ad illum ventitabant; imo nunquam vacuum ab lectione istiusmodi aut somnus excepit, aut ignis hyemis tempore fovit, aut iter usquam detulit. Hoc autem cum a prima usque ætate illi fuerit familiare, incredibile pene est quanto eidem etiam fuerit auxilio, ut strenue vel in scientiis progrederetur. Emolliunt ingenia litteræ, perspicaciora, promptioraque efficiunt; atque ita edomant, ut quocunque ea verti cupias, ad omnia facile et feliciter flecti patiantur. Atque hinc factum est, ut priusquam annum decimum nonum compleverit jam talis fuerit, qui etiamsi Universitatis Professores nunquam audierit, tamen concedentibus Triumviris studiorum moderatoribus, ejusque singularem scientiam probante patavino Jurisconsultorum Collegio, Doctor in utroque jure salutaretur.

Verum hoc in tanto Viro minimum est: hanc laudem habet cum plurimis communem. Illud majus multo et gloriosius, quod sic inter alumnos Seminarii emineret ingenii et doctrinæ fama, ut præ cæteris dignus singulari existimatione haberetur. Hoc autem qui leve quid esse putaret, is et alumnorum eo in loco litteris scientiisque studentium numerum ingentem, et studendi alacritatem,

quæ

quæ ibi fervere non vulgari exemplo solet, et Magistrorum doctrinam probatamque in docendo sagacitatem, et loci ejusdem, ob præclara Virorum illustrium, qui perenni vice ibidem floruerunt, et inde exierunt, ingenia, celebritatem penitus ignorare videretur. Sed ego quid ista commemorem? Nonne hæc laus quanta fuerit potest ab effectis probari? Nonne Seminarii patavini Præsides UBALDUM BREGOLINUM, si ecclesiasticæ Militiæ tunc temporis addici voluisset, suorum Magistrorum Ordini cooptassent? Nonne illum venetus causarum patronus Carolus Cordellina, quem quanto facundia, et juris peritia valeret nemo ignorat, ut ad se maximus futurus orator concederet, invitavit? Nonne Seminarium tarvisinum hunc juvenem paulo post, etsi nondum ille sacris initiari Ordinibus petierat, juris utriusque Professorem elegit (4), atque deinde philosophiæ litterarum explicandæ adultis alumnis destinavit, studiisque omnibus regundis præfecit? Qua quidem in re illud præcipue est mirandum, fuisse in eo juvene tantam in moribus auctoritatem, ut dignus putaretur qui posset majoribus natu præesse; atque tantam apud alios illius scientiæ opinionem, ut idoneus esse judicaretur ad eam commonstrandam viam, quæ esset in singulis disciplinis excolendis opportunior.

Atque hæc quam recte, quam solerter! Methodum ad illa usque tempora servatam ut pueri latinam linguam edocerentur, emendavit, librumque in Grammaticorum usum composuit (5), qui publici juris typorum præsidio factus vel ipse unus monstravit quanta cum diligentia et sedulitate UBALDUS grande hoc sibi demandatum munus exequeretur. Ejus Orationes quas latine singulis annis publice habebat, ut studiis proluderet, probatissimæ: ejus Acca-

demiæ

demiæ (6), ut nostri dicunt, pulcherrimæ: exordium quo singulis auspicabatur, et eruditionis copia, et sententiarum gravitate, et ea arte, qua totius argumenti pertractationem instituebat, dignum quod plenioris elucubratæque disceptationis nomine donaretur: stilus scriptionis cujuscunque, qualis eum decebat, qui præstantissimos antiquitatis auctores assidue perlegerat; neque sententiis male cumulatis creber, neque promissis ingentibus turgidus; sed humanus, sponte fluens, quique feliciter in Auditorum aures illaberetur: poemata singula sive italis auctor uteretur numeris, sive latinis, et varietate metrorum, et ubertate rerum, et dictionis elegantia atque nitore, præclara. In quo ea præcipue laus eminebat, ut quodcunque sibi canendum deligeret, cantus inde suavissimus erumperet. Ecquod enim fuit dicendi argumentum tam sublime, tam asperum, tam siccum, et a poetica festivitate remotum, quod ille ad omnium captum non adduceret, non molliter augeret, non tractabile efficeret, non lætis ornaret floribus, non denique ad humanitatem felicissime inflecteret? Percurrite quæ plurima scripsit poemata, potestis enim, nam aliqua typis cusa (7) ad omnium manus devenere, et plurima audistis; percurrite, inquam, ejus poemata, eorumque titulos perpendite. Quis primo intuitu non crederet, eum hoc sibi proposuisse, ut difficiliora philosophiæ tum rationalis, tum physicæ miracula enodaret, de iisque institutis tractatibus dissereret? Dulcissima illius vox, melius quam Orphei lyra, de qua adeo multa in fabulis, *mulcebat tigres*, *et agebat carmine quercus*: ipse quoque, ut veteres illi, dici potuisset ob hoc *lenire leones atque saxa movere sono testudinis*, *et prece blanda ducere quo vellet*. Atque in his magnus; maximus

vero

vero ubi incolumi gravitate tentavit jocum, et agrestes satyros nudavit. Qui sales! qui lepor! quæ jucunditas! quæ rerum copia et varietas! Scribente UBALDO *quantum de medio sumptis accessit honoris!* Horatium amavit; ita tamen ut quæ in Persio et Juvenale artis optima eminent, non respueret, referretque indolem cujuscunque, quin tamen convinci posset in alicujus Magistri verba jurasse, aut eorum aliquem servili imitatione esse secutus. Utinam aliquando horum poematum collectione perfecta respublica litteraria pretioso munere donetur!

Jam vero latinæ linguæ præcipue quanta proprietas et elegantia! quanta stili et quam opportuna varietas! Singulis poeticarum scriptionum generibus ita modos apta concinnitate temperabat, ut quodcunque scripsisset, illud esset quod esse debuerat. Lima quidem quandoque desiderabatur; sed hoc omnium fere verorum poetarum est, qui œstro calentes concitato immorari diu in chartis jam scriptis recensendis omnino non possunt: hoc eorum omnium est, qui fere ex tempore canunt; quod semper UBALDO evenisse illi omnes sciunt, quos juvit optare ut ille quidquam rogatus conscriberet.

Hic tamen poeta, fervidum hoc ingenium non solum poeticis scriptionibus indulsit, sed ea etiam studia coluit, in quibus et longa meditatione opus est, et assidua diligentia. Ille non Tarvisii solum per tria lustra et amplius, sed et Bergomi, atque tandem Venetiis, in quibus urbibus publice tum litteras, tum jurisprudentiam juvenes docuit, singularis patientiæ illustria exegit monumenta. Jam dixi, Tarvisii in puerorum usum composuisse, librum, in quo de latinæ linguæ principiis accuratissime disseruit. Philosophiam præterea professus est,

hi-

historiam, naturale jus. Bergomi autem, ubi litteras primum, et deinde utrumque jus per novem annos tradidit; curis diligentissimis eas præcipue Tullii orationes, in quibus ad efficentiam legum detegendam, earumque sensum explicandum sermo deflectit, nova luce ditavit: litterariam illustravit historiam, poetarumque celebrium vitas, ætatem, ingenia ad critices severioris regulas revocavit: et ab Episcopo illius Urbis non minimis agendis rebus adhibitus, maximam inde laudem consecutus est. Venetiis vero, ubi per annos triginta tres in oculis omnium atque magna in luce versatus est, quis dicat quanta fecerit, quanta tulerit, quam patienter multa egerit atque conscripserit?

Jam antequam huc accederet, jubente Magistratu ad Pias Causas anno millesimo septingentesimo septuagesimo primo Opus quiddam (8) non minimum de Ecclesiasticis Commendis perfecit periculosæ plenum aleæ atque laboriosum. Cognoscenda erat difficilis causa; discutiendæ opiniones, quæ secum invicem non sine magno strepitu et vehementi indignatione pugnabant; inquirenda jura; græci latinique Canones evolvendi; origines Clericalium Beneficiorum investigandæ; regionum mores describendi; sæculorum præteritorum consuetudines illustrandæ; dissidentium inter se Theologorum tractatus videndi; Romanorum Pontificum responsa consulenda; Principum decreta citanda. Quot legendi libri, quot sciendæ res! Quam caute incedendum, ne calamus *incidat in scyllam, dum vult vitare charybdim!* Hæc omnia perfecta sunt: et quem librum UBALDUS confecit, Senatus laudavit, etsi non omnia forte consona iis contineret, quæ deinde Senatus idem esse facienda imperavit. Librum ego

 vidi,

vidi, videre et alii plures; atque ejusmodi est, ut vel ipse unus, si publici juris fieret, BREGOLINI nomen immortalitate donaret. Sed quid ego manuscripta commemoro? Nonne ejus doctrinam atque solertiam ea volumina commostrant, quæ prostant venalia secundis impressa typis, et juris civilis Institutiones bono in lumine collocant (9)?

Jam nostis, Auditores, de quibus ego libris nunc sim verba facturus. Illos libros nomino, quos ad usum suorum discipulorum conscripsit, quique quatuor voluminibus continebantur primo, et quinque deinde; eoque devenere celebritatis, ut non solum hic, ubi Auctoris vox hactenus audita est, sed et in finitimis Urbibus, imo et per Italiam totam haberentur omnium aptissimi, qui juvenes aut agendis causis, aut litibus finiendis destinatos erudirent. Nihil ego dicam de maxima quæ ubique nitet italæ dictionis perspicuitate, nihil de omnigena illa legalium rerum eruditione, quæ singulas ornat paginas; nihil de opportuna illa instituendis haud longo tempore alumnis brevitate, quæ in tanta rerum dicendarum et explicandarum segete vix haberi potuisse videbatur. Perspicuitas enim, eruditio, brevitas in eo debuerant esse libro, cujus Auctor et perspicaci nitidoque erat ingenio, et a prima usque ætate assidue, bene, alacriterque suæ scientiæ studuerat, atque propterea talis erat qui errore viarum a recto et brevissimo itinere abduci non poterat. *Cui* namque *lecta potenter erit res nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo*. De Operis ipsius præstantia dico, quæ cum sibi hoc proposuisset, ut Justiniani Instituta proponeret et evolveret, non solum leges ipsas earumque historiam, scopum, et efficientiam cumulatissime indigitavit,

sed

sed etiam ad juris ipsius naturalis principia assurgens rationem ipsam singularum legum et convenientiam feliciter sciteque commonstrat. Adde venetarum legum cum romanis collationem et differentias, ne juvenes postquam legibus studuissent, ubi venissent in forum maxima nostrorum Codicum ignoratione tenerentur: adde vocem Magistri, ubi hæc in Schola explicabantur. Quid hoc libro prætantius, quid ad recte instituendos juvenes opportunius?

Ubaldus enim Bregolinus ea in Schola fuit familiari et improvisa eloquentia, ea illustrandarum veritatum industria pollebat, ea arte inflammandorum ad studia discipulorum eminebat, ut ei parem fortasse non unum reperies; excellentiorem reperire non poteris. Vos dicite, de litteraria republica Viri optime meriti, quibus feliciter contigit, ut hunc tantum doctorem ætate florente haberetis magistrum, Vos Nicolai, Pellizzari, Fassadoni, tuque ante omnes, Bevilacqua, quem quanto ingenio valeas, quanto scientia præstes, et in omni disciplina judicio et exercitatione excellas nemo est in hac urbe qui non cognoscat; Vos, inquam, oportet, ut Ubaldi in docendo singularem industriam et sagacitatem testemini, audistis enim. Et quemadmodum vos habuisse alumnos jure illi gloriandum fuit; ita vobis dicendum est quantum ille idem contulerit facilitatis, et incitamenti ut ad tantam doctrinæ laudem perveniretis. Vos etiam invoco testes, Optimi Viri, quorum nonullos jam nunc venetum forum habet illustres causarum patronos in utrumque paratos seu dicere ex tempore, seu clientum jura scripto vindicare: imo et vos (videte, Auditores, quam non reformidem, quam securus eloquar) et vos testes

invoco, honesti juvenes, quibus UBALDUS datus est Magister dum laboribus et annis fractus communi in societate atque victu elinguis fere, atque etiam extra mentem esse quandoque videbatur. Nonne dum Scholæ parietibus tenebatur, velut Sybillæ, de qua poetæ, antro inclusus insolito agitabatur œstro, et quasi senilibus positis novus exuviis scite sapienterque disserebat, et bonis lateribus disputabat? Nonne ea tempestate ita valuit ut Plutarchi librum, cui titulus *de educandis liberis* (10) e græca in italam linguam converteret, et paulo post latinæ D. Benedicti ad sororem Scholasticam epistolæ versionem (11) perficeret? Nonne per ea tempora, imo et hoc ipso anno, Philaretas Accademicos jucundissime detinuit ea legens *de variis poeseos generibus*; *de poeseos origine atque incrementis*, quæ non solum ejus incredibilem ac pene infinitam eruditionem decebant, sed et quantum scribendo et ratiocinando vel in ipsa senectute excelleret, docuerunt? Quid igitur mirum, si nobilissimi hujus Urbis juvenes non pauci, quos nostri mores impedierant quo minus ad publicam Scholam accederent, hunc acciverunt doctorem, ut quibus ille posset horis eos domi vel leges doceret, vel erudiret in litteris et exerceret? Quid mirum, si Collectores poeticarum scriptionum, quæ causa fausti alicujus eventus fieri consueverant, eum sæpissime rogaverunt, ut vellet aliquid conferre de suo, certo putantes, magno cum honore eum esse excipiendum librum, in quo carmen aliquod BREGOLINO auctore legeretur? Ille versioni Operum Sallustii, quam nuper Mathæus Dandulus adornavit, addidit italico donatam idiomate Salustii vitam a famoso auctore latine exaratam (12): Ille causis Clericorum, finiendis (13) non semel delegatus ju-

dex:

dex: ille sæpe vocatus a privatis ut quam ferret de litibus sententiam suo scripto patrocinaretur: ille ab eo sui temporis latinorum oratorum principe, et poetarum choriphæo Natali Lastesio (14) propositus Cardinali Veronesio Episcopo Patavino, ut studiis Seminarii jam ea ætate ad interitum vergentibus præficeretur, eoque agente ad pristinum decus et veterem dignitatem ejus loci fama rediret: ille jussus laudare funebri Oratione tum Venetum Patriarcham Joannem Bragadenum (15) tum illustrem venetæ classis ducem Angelum Emo, cujus exequiæ præsente Senatu celebratæ sunt: ille pluries propositis per suos alumnos tum Canonicis, tum Civilibus quæstionibus publicas (16) instituit disputationes, in quibus nescio an magis admirarentur auditores insuetam iis in exercitationibus latinæ linguæ proprietatem et elegantiam, an vero insolitam et singularem eruditionem: ille poemata Propertii (17) quem omnium maxime ex elegiacis latinis poetis amabat, Bettinellianis typis recusa notis illustravit: ille... sed quid enim ulterius dicendo de eo Viro progrediar, qui *tempora longævæ visurus longa senectæ* a puero litteris scientiisque colendis se totum datus ad extremum usque vitæ tempus ne diem quidem unum ab iis se divelli passus est? Quid ulterius dicam de eo Viro, qui, quod neque Ovidius, nec plures alii potuere poetæ, ita ingenium composuit, exercuitque, ut quantus erat scribendis carminibus, tantus etiam juri explicando fuerit? Anne aliquid huic tam præcellenti gloriæ addi potest? Profecto non potest. Magnæ etenim instar victoriæ est, illa duo, quæ bellum sibi invicem perpetuum indixisse hactenus visa sunt, in unam eandemque sedem, jubente se, coaluisse: novi est instar triumphi utrorumque mu-

munera ita conciliasse, ut jurisprudentia vim majestatemque carminibus adjiceret; poesis autem nimiam jurisprudentiæ severitatem temperaret, et barbarum illud nescio quid, quod in legum Interpretibus rude sonat, penitus ex hac scientia eliminaret. O cui te similem, BREGOLINE, dicam; aut quibus ego laudibus tuum istud ingenium extollam?

Illud ad quod nunc evocor est, præclara hæc ingenii decora a probatissimis moribus non fuisse disjuncta: nunc dicendum quam intemerate Christianæ Religionis acceptum donum custodierit. Hoc siquidem unum est quod non sinit labores ejus tantos morte adventante in nihilum abire; hoc unum est, quod umbratilem hanc gloriam, quam e nobis habet, mutat cum infiniti præmii æternitate.

UBALDUS ergo BREGOLINUS vel a puero non solum studii, sed et severæ patiens disciplinæ monstravit quam longe ab iis recederet, quæ minus recta solent juvenum animos vehementer illicere. Cum enim primum ei data facultas est, ut vel spem laudis et lucri, quam maximam sibi poterat proponere, in veneto foro excitante Cordellina sequeretur; vel nomen Ecclesiasticæ militiæ daret: perosus opes et in magna urbe celebritatem, nec patris provocatus exemplo, Tarvisium concessit, ibique est factus Sacerdos. Atqui, Auditores, hoc quantum habet admirationis! Ille jam suas vires in agendis causis optime noverat; quantum eloquentia valeret non ignorabat. Dum enim adhuc inter Seminarii patavini alumnos numerabatur, exercitationis gratia instituta cum

col-

collegis lite (18) sæpe coram sapientissimis Viris advocatorum more perorabat. Nunquam ille causa cecidit, etsi jussus de industria, illas sibi defendendas partes proponeret, quæ minus defendi posse videbantur. Hoc, auditores, hoc fuit in causa, cur forum ne e limine quidem salutaret. Cum enim nimium audentis timeret periculum ingenii; satius duxit juvenibus erudiendis per totam vitam intendi, studiisque mitioribus occupari. Ita vero in hominum societate est versatus, ut hospes quacunque in regione vixerit, esse videretur. Carus omnibus neminem gratiæ causa coluit, neminem intima familiaritate sibi fecit devinctum; a spectaculis lætisque conventibus abstinuit. Nunquam culturæ vestium studuit; domestica vitæ commoda ne nomine quidem noverat; doli nescius, nec fraudis metuens rei familiaris curam fere neglexit; irascebatur nunquam; nunquam secundis rebus elatus, nunquam fractus (19) adversis, nunquam est visus litteraria æmulatione commoveri.

Hæc vero omnia dum fere despiceret; illud fervida contentione curabat quod Religio esse faciendum præscribit. Iis enim temporibus quæ jejuniis Catholico Ritu servandis consecrata sunt, nunquam carnibus vescebatur, etsi in illa esset ætate quæ ciborum delectu eget, imo quamvis per dies sex et quadraginta esset singulis annis producenda abstinentia, Romanusque Pontifex antiquæ disciplinæ asperitatem humaniore cibo mitigari posse permitteret. Oratio quæ sibi Sacerdoti Ecclesiæ jussu præcipiebatur, quam pia! quam ad horas facta! Quam sancta divinorum Mysteriorum quotidiana celebratio! Festorum dierum cultus quam religiosus?

Quid vero de ejus maxima ac pene singulari modestia dicam?

dicam? Anne ille quidquam suorum scriptorum sponte sua in lucem emisit unquam? Rapta ab amicis illa poemata, quæ legistis, Auditores, se quasi reluctante a suo pluteo fuerunt. Per vim extortæ illæ chartæ quibus ejus juris institutiones componuntur (20). Se ignorante, editioni, ut dicunt, secundæ additæ illæ regularum juris explicationes. Nunquam sui nominis gratiam aut celebritatem aucupatus est; nunquam adulatus quemquam, ut ipse alterno officio laudaretur: cumque magnus scientia et patrocinio posset in patavino Gymnasio esse juris, vel forte et litterarum Professor (21), huic honori atque utilitati, ne cogitandum quidem esse putavit. Atque demum Bergomo discedens cum ab gravissimo Episcopo Antonio Redetti suorum insigne accepisset recte factorum præconium scripto amplissimis verbis traditum, nunquam tamen de hac laude gloriatus est, nunquam ulli, quod ego sciam, illam retulisse narravit: etsi talis ea esset, quæ pertentare animum honesti cujuscunque hominis posset, et jure blandiri.

At quibus ego verbis prosequar majorem illam inter virtutes omnes, qua adeo erga miseros ferventer ardebat? Dicam, eum Bergomi ab Episcopo jussum sontibus, quos pœniteret scelerum, Christi nomine adhibere salutem; non ante adduci potuisse, ut grande hoc ministerium exerceret, quam se audiret ad eos, qui carceribus tenebantur, esse missum: dicam ejus domum neque splendidam neque divitem hyberno tempore patuisse pauperibus, ut inde ignem, quo foverentur, adsportarent: dicam æstivis diebus ejus cunctis patuisse puteum, ut gratis inde aqua, quæ mercis loco Venetiis emi solet, sitientibus concederetur: dicam, eum singulis mensibus

non

non unum juvisse pauperem data non levi stipe; totiusque suæ Juris Elementorum editionis acceptum pretium in levamen contulisse miserorum: dicam viduas quasdam annis et ægestate pene confectas diurno apud se nocturnoque hospitio exceptas fuisse: dicam, Cæcum, scio quem, et notum, et adhuc viventem BREGOLINI domum frigoris tempore habuisse ut suam, ibique non ut supplicem atque ægenum, sed quasi ut amicum versari fuisse solitum: dicam infirmos quosdam opis cujuscunque indigos non nunquam aluisse cibo, quem ipse paraverat sibi; et quo sterneretur non unam donasse lecto nupturam puellam: dicam denique, triennem puerum a crudeli patre aufugiente ab urbe, mortua matre, sub dio derelictum, fuisse ab UBALDO inde ablatum, et suis curis atque impensis ad adultam usque ætatem domi educatum.

Hæc ille fecit: majora parabat. Nam quantum rei familiaris, et quantum fundorum moriturus avita hæreditate possideret, id totum dono dari Nobiliaco suo voluerat, ut inde alerentur Magistri, qui e plebe pueros et litterarum, et Religionis rudimenta gratis docerent. Atque ut istud sibi securius cederet, cum jam pro meritis honorato donatus esset, stipendiis indelibatis, otio; illuc decreverat concedere, ibique extremam videre diem, ubi primum hoc cœli lumen videre cepit. Sed voluntati vices non paruere; atque senectute opprimente e vita decessit Venetiis, ubi diutissime vixerat, et ubi tot ingenii et virtutis monumenta reliquerat. O virum insignem, et dignum, quem inter præclaros historia commemoret! *Quis desiderio sit pudor aut modus tam cari capitis?* Quid enim defuit ejus vitæ, ut ejus esset laus cumulatissima?

An quod lethali hoc, quo interiit, morbo laborans,

non est divinis juvatus (22) præsidiis? Sed hoc necessitatis fuit, non voluntatis. Vos testes invoco, optimi Sacerdotes, quorum curis hæc est demandata provincia; Teque in primis, Illustrissime et Reverendissime Antistes, cujus adeo est cognita fides, adeo laudata sapientia, adeo celebrata charitas, adeo nota humanitas, et in tanta dignitate singularis modestia, ut Veneti omnes Te suum concivem maximo prosequantur honore, suumque dicant decus, atque hactenus orbi Pastore etiam dulce præsidium (23); Vos, inquam, omnes invoco testes, Venerabiles Viri, qui morienti Ubaldo adfuistis. Nonne ejus vires mentis adeo senili morbo labefactatæ sunt, ut neque se in periculosa infirmitate versari animadverteret, neque ullum aut facie aut nomine cognosceret, neque ad rem respondere quidquam, neque sententiis aptare verba amplius posset? Atqui Vos facto respondetis. Quid enim sunt istæ exequiæ, quid ista celebritas? Cur Tu ipse, clarissime Præsul, Hostiam litaturus Salutis huc accessisti, et frontem infula redimitus, et pontificali indumento ornatus huic funeri adsistis? Sed pudeat hac indiluenda querela diutius immorari. Qualis quisque vixit, talis et moritur; atque propterea sanctitatem mortis hujusce Viri abbunde prædicat diuturnæ ejus vitæ non communis integritas.



ADNOTATIONES.



(1) Pompa hujus funeris fuit majestate gravissima: et in ea illud primum, quod Vir egregius Ioseph Maria Peruzzi Caprularum Episcopus, et ad Clodiensem Cathedram designatus Pontificalia solemniter peregerit.

(2) UBALDUS natus est anno 1722 die 15 mensis Maji ex ANDREA BREGOLINO homine civilis admodum conditionis. Hic orabat agitabatque causas in patrio foro. Ioannes hujus ejusdem patruus, litteratus, fuit a secretis Ioannis Cardinalis Delphini, illius nempe, qui tragœdias jam notas confecit. UBALDUS noster mortuus est die 24 mensis Augusti hujus anni 1807.

(3) Invenio BREGOLINI Patriam, quam *Noale* dicimus, latine esse dictam *Novalium*, vel forte etiam *Novale*. Attamen cum sæpe UBALDUS, cujus magnopere veneror auctoritatem, affirmaret, eam esse dicendam *Nobiliacum*, ejus opinionem sum secutus. Forsitan quemadmodum eadem Urbs dicitur Padua, et Patavium; ita idem Oppidum appellari potest et Novalium, et Nobiliacum et Novale. Sed hac de re videant Eruditi.

(4) Sede vacante ingressus est Seminarium Tarvisinum ut jus utrumque doceret: hoc autem evenit circa annum 1743: anno 1750 Studiis præfectus est ab Episcopo Paulo Justiniano. Anno 1761 Bergomum adiit ut in Collegio Mariano in litteris juvenes institueret. Ibi tamen docuit etiam jus utrumque, ut constat ex magnifico hoc monumento, quod honoris ergo ex autographo Scripto describo.

„ Antonius Redetti Dei et Apostolicæ Sedis Gratia Episco-
„ pus Bergomensis, comes etc."

„ Universis fidem facimus, et testamur adm. Reverendum
„ Dominum UBALDUM BREGOLINI S. T. et I. U. D. Sacer-
„ dotem Tarvisinum moram per novem annos in hac Civitate
„ Bergomi traxisse ad humaniores primum litteras docendas a
„ collegii Mariani Administratoribus invitatum, mox ad Iuris
„ utriusque Scholam traductum, quo in munere doctrinæ, et di-
„ ligentiæ laudem apud omnes reportavit, cujusque scientia et
„ opera tum alii plurimi, tum Nos quoque non semel usi fui-
„ mus, nec usos fuisse pœnituit. In toto vero hoc temporis spa-
„ tio ita vixisse, eamque morum rationem suscepisse, et perpe-
„ tuo servasse, ut incessu, vestitu, habitu nunquam ab Ecclesia-
„ sticis Regulis, ab Synodalibus Constitutionibus deflexerit, ut
„ ab omni scandali suspicione et vitiorum alienus fuerit, ut cum
„ viris vel Ecclesiasticis tantum, vel Nobilibus spectatæ famæ
„ ac virtutis consuetudinem assidue habuerit, quorum sibi existi-
„ mationem benevolentiamque promeruit. In quorum etc."

„ Datum Bergomi ex Episc. Palatio die 12 Iulii *1769*.

„ (Antonius Episcopus Bergomensis.

„ *Io: Baptista Recuperati Cancellarius Episcopalis*."

Ad Venetum Lyceum vocatus est eo anno, quo illud cepit, nimirum 1773, ut litteras humaniores et civile jus profiteretur.

(5) Hanc Grammaticam edidit Tarvisii anno 1755 Typis Seminarii.

(*6*) Primam, quam Venetiis habuit, vulgavit. Hoc autem factum est anno 1774 typis Caroli Palese.

(7) Ha-

(7) Habetur Satyra, quæ ab optimo interprete Angelo Dalmistro, jam Ubaldi illustri alumno, facta est publici juris anno 1791 hoc titulo: *Del Celibato: Satira latina del dottor Ubaldo Bregolini recata in versi italiani dall' ab. Angelo Dalmistro*. In eo item libro legitur egregia nostri Auctoris ejusdem Elegia, cujus hoc est argumentum: *In Religione præcipuum perfugium in ærumnis, quibus vita nostra conflictatur, positum est*. Adde fuisse typis datum etiam aliud poema, quod inscribitur. *L'imeneo delle piante e dei fiori:* Palese 1801. in 4to. Est hoc carmen in nuptias Ferrari-Nascetti. Italum est, et ut nostri dicunt *in ottava rima*.

Adversus imitatores gallici auctoris *Thomas* est et alia latina Satyra, quæ legi potest in eo Folio cui titulus: *Giornale dai Confini d'Italia*. Hic liber cudebatur Venetiis anno 1782. Vid. N. XXV. p. 200. Latinum textum italo carmine explicavit Cosimus Mei.

Non facile dixerim quot Ubaldi carmina vel solutis in Foliis, vel in poeticarum Collectionum libris impressa prodierint. Plurima certe. Vide etiam *Elogi italiani dall' ab. Rubbi note alla vita di Durante Duranti* T. VIII. p. 38.

(8) Hic liber ms. inscribitur: *Ragionamento sopra le Commende ed altri Benefizj Ecclesiastici del Sig. Ab. Dott.* Ubaldo Bregolini *Novalese. In ordine a commissione a lui data dall' Eccell. Deputazione Estraord. ad Pias Causas li XXX. Decemb. MDCCLXXI.* Hunc librum possidet Jo: Baptista Rossi Episcopi Tarvisini Cancellarius, eruditione et Ubaldi amicitia clarus.

(9) Primum hos libros quatuor tomis in 8vo inclusos edidit Carolus Palese anno 1787: in fronte hæc leguntur: *Elementi di Giurisprudenza Civile secondo le leggi Romane e Venete: Opera del Dott.* Ubaldo Bregolini *etc.*

Secundæ editioni eorundem librorum factæ anno 1805, Typographo Simeone Occhi, additæ quarumdam regularum juris explicationes, illæque comprehensæ sunt tomo quinto.

(10) *Della educazione de' figliuoli Dissertazione di Plutarco Volga-*

ga-

garizzata per le faustissime Nozze Valmarana-Mangilli dall' ab. U. D. B. et in fine operis: *Venezia MDCCCIII. dalla Tipografia di Antonio Curti*.

(11) Hæc versio legitur in eo libro cui titulus: *Poemetti Sacri tradotti dall' ab. Marco Fassadoni. Venezia appresso Santini* 1804.

(12) Secundo in volumine hujus operis habetur istiusmodi Versio hoc titulo: *Vita di Cajo Crispo Sallustio scritta in lingua latina da Giovanni le Clerc, e tradotta nell' italiana favella dal Sig. Dottor* UBALDO BREGOLINI *appresso Modesto Fenzo* 1802.

(13) Bis delegatus est una cum duobus aliis Ecclesiasticis Viris a Ludovico Manin, tunc Venetiarum Duce, ut judicaret de querelis exortis inter Archipresbyterum et Canonicos Veglenses. Item vertente causa inter Plebanum et Presbyteros titulatos S. Martini Venetiarum et ipse judex ab ipsis litigatoribus constitutus est.

(14) Vide vitam Natalis Lastesii a Viro clarissimo Iacobo Morellio italice conscriptam, et præpositam editioni Epistolarum Italicarum illius Auctoris, quæ Bassani nuper prodiit, pag. 34, 35.

(15) Hæ duæ Orationes Typis impressæ sunt: nunc tamen haud facile inveniri possunt. Prior habita est anno 1776, altera anno 1792.

(16) Tarvisii primum edidit Propositionum e jure Canonico defendendarum librum anno 1748. Tum alium librum anno 1758 in quo erant Propositiones Historico-Chronologico-Criticæ. Propositiones autem e Jure Civili depromptas, ut constat ex libris ea de causa editis, disputandas proposuit Venetiis anno 1784, deinde anno 1790, tandem anno 1796.

(17) Propertii Carmina: Venetiis apud Bettinelli anno 1786.

(18) Vide Historiam Litterariam Venetam Sæculi XVIII. ab Antonio Moschini scriptam Tom. I. pag. 270.

(19) Cum Tarvisii primo tempore doceret, vehementissime accusatus est de violata in suis propositionibus veritate. Subiit periculum ea constantia, qua esse debuerat, qui nihil timebat sibi;

atque

atque post diligens examen amplissimorum Judicum sententia liberatus est, dictusque talis, de quo criminis ne suspicio quidem moveri poterat.

(20) Vir optimus et de litteraria re bene meritus Angelus Maria Ridolfi Sacerdos ex Ordine Min. Conv. primam editionem curavit, et auctorem adegit vi non minima, ut illam fieri sineret, velletque ea conferre quibus libri componerentur. Emolumenta quæcunque ex horum librorum venditione evenerunt, collata sunt in utilitatem honestæ miserrimæque cujusdam Familiæ, procurante Editore. Auctor quod inde accepit et ipse donavit. Editionem secundam promovit Bartholomæus Bevilacqua Gymnasii Ven. Rector.

(21) Erudierat Nepotes Viri potentis, penes quem sæpe erat auctoritas eligendi Universitatis Patavinæ Professores. Quotiescunque occasio eligendi evenisset, Vir ille nunquam de Professore instituendo cogitabat, ut ipse narrare solebat, nisi prius Ubaldi voluntatem explorasset. Mortuo etiam Clemente Sibiliato idem ab alio studiorum Moderatore factum est.

(22) Cum Sacerdotes, imo et ipse optimus Caprularum Episcopus Ioseph Maria Peruzzi, humanitatis ergo, morientis Ubaldi domum, ut eum inviserent et solarentur, accessissent: neque vidisset populus, Sacrum Viaticum ad eum esse delatum; nescio quo facto, malo certe et iniquo, rumor percrebuit, Ubaldum moriturum Sacramentis juvari noluisse. Cur autem Sacrum Viaticum ei non est delatum? Quia vis morbi, *quem asteniam senilem* medici dicunt, cerebrum præcipue affecerat, eique usum rationis ademerat. Cæterum, Ubaldum eo fuisse animo, quo esse debet quicunque Christianam Catholicam Religionem profitetur, satis ipse idem probavit triennio ante, quando improviso perculsus morbo, a quo tamen cito convaluit, statim petiit Sacramentis muniri, et voti compos factus magnopere lætatus est.

(23) Sede Patriarchali vacante, quæ erant a Patriarcha causa


Epi-

Episcopalis Ordinis facienda, Venetum Canonicorum Capitulum rogavit, ut ab Eo fierent.

De Ubaldo Bregolino videantur opera Moschini, atque etiam Dominici Mariæ Federici O. P. viri eruditi, qui præterea indicat quænam laudes ab Ephemeridum litterariarum scriptoribus datæ Ubaldo fuerint, in suo opere *Della letteratura trivigiana del secolo XVIII. esame critico apologetico ec.*

Sepulchrum Concivis sui Joannes Baptista Rossi, idem de quo in nota (8), inscribi jussit his verbis:

VBALDO · BREGOLINIO
PRESBYTERO · NOVALIENSI
SACRI · CIVILISQVE · IVRIS · CONSVLTO
DE · QVA · FACVLTATE · ITEMQVE · ORATORIA
ET · POETICA
TARVISII · BERGOMI
VENETIIS · DENIQVE · IN · REGIO · ATHENAEO
PLAVSV · AEQVABILI · DOCVIT
SCRIPTIS · ETIAM · PRAECLARIS
EVVLGATIS
VIX. ANN. LXXXV. M. III. D. IX
DECESSIT · IX. CAL. SEPT. M. DCCCVII
IO. BAPT. FRANC. F. RVBEVS
FECIT · AMICO
ET · CONTERRANEO · SVO · B. M.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 061000276